



G V I L I E L M O
DE LAMOIGNON,
S V P R E M I
GALLIARVM SENATVS
P R I N C I P I.

VIDE *quid agas, Scipio; accipenser iste paucorum hominum est: præmonebat non infacetus conviva. Videmus quid agamus,* ILLVSTRISIME G V I L I E L M E ; Autor iste, quantumvis multorum voluminum, paucorum tamen hominum est: Sed Tuî similiū, sed illustrium convivarum, sed ingentium librorum heluonum: Idemque ille Te dignissimus est, & Tu illo. HIERONYMVS CARDANVS, vaser ille Italus, versatili vir ingenio, & centum Doctor artium, atria tua pulsat, quæsiturus patronum proli suæ; quam novam atque numerosam Europæ nunc primùm ostentare gestit. Nobis autem, tanquam nutriciis & educatoribus uti voluit; qui hos fœtus, si non ab utero
ã 3 rubentes

rubentes, saltem à prælo madentes, limini tuo sifteremus. Atque vitam quantum ille ingenij & eruditionis in scribendo adhibuit, tantundem nos industriæ ac diligentia in publicando impendisse, agnoscat literatorum natio. Quidquid sit, sincerè testamur, nos nihil curæ omisisse, ad omnia huius Autoris perquirenda, exscribenda, & emaculanda. Ne quid enim omnino tanti viri dilitesceret; vel in sordibus, aut privatâ cedro diutiùs jacêret; rimati sumus plurimarum angulos bibliothecarum, in Gallia, Italia, Germania: unde manuscriptos codices, & ipsa Cardani autographa, hamis aureis expiscati sumus. In primis autem curavimus, Purpuratæ Themidis Princeps, ne quid nisi legitimum & genuinum hîc immisceretur: quod facillimè euincet styli germanitas, sensuumque vniformis tenor. Et certè si quid adulterinum obtruderemus, statim id subolfaceret tua Lutetia, nasuta ciuitas: & tunc, Væ, æternum væ, falsariis!

Felici autem casu factum est, vt quemadmodum Cardani Opera Priora ante plures annos lucem aspexerunt in illustri Basilæa, Romana Numatij Planci colonia; ita hæc Posthuma & Nova, simul cum
Prioribus

Prioribus; publicet hodie nostra Lugdu-
num, altera Planci colonia. Vtraque ciui-
tas sanè digna, quæ generosos fœtus Orbi
daret; Romanósque spiritus liberis homi-
nis liberrimi inspiraret; eiúsque Manibus
exultabunda acclamaret, Deæ tuæ, Car-
dane, Deæ tuæ te fortunant, Fama, Li-
bertas; & Eruditio.

Nec minùs eum fortunabis, Princeps
Consultissime, si post benignam in sinum
tuum admissionem, illum præterea erudi-
torum coronæ commendaueris: Alioqui
spe suspensâ in ambiguo nûtat; tot ante-
hac partes honores hodiernâ die aut cu-
mulaturus aut everfurus. Etsi enim ma-
gnus est famâ, majórque meritis, multos
tamen iam-ab-olim nactus est aduersarios:
quos vivus adhuc, & iam gloriâ suâ fruens,
experiebatur acerrimos: sed post eius obi-
tum (qui ipsis quoque antagonistis luçtuo-
sus fuit, præsertimque magno Scaligero) ani-
malcula quædam, maligna & venenata, scor-
pios alienæ famæ, terra damnata suppuravit:
qui cùm virtute & viribus vt priores non
possent, punctiunculis atque veneno graf-
sati sunt: Et vt iniqua sunt imperitorum
iudicia, innocentem hominem, iam cada-
ver & pulverem, aufi sunt collocare inter
Furvarum Artium Consecraneos. Nempe,
quia

quia tuum res arcanae captum superant,
crucem & bustum & infernum crepas, im-
perite Iudex, & pedanee. Quam calum-
niosè, quam fatuè, pronuntiabit æquitas
tua, Præses amplissime; ad cuius tribunal
causa hæc appellatione devolvitur. In qua
dimicatione, ipso tacente reo, nullóque
defendente Patrono, nec enim opus est,
isti ipsi Libri causam perorabunt.

Quod reliqua spectat, ingenuè fate-
mur, Cardanum, vt Philosophum decet,
liberrimè suos sensus vbique expromere.
Is enim, quamuis inter larvatos non exi-
guam vitæ partem exegerit, nusquam ta-
men larvatus apparet. Et veluti summè
semper vitat, alienæ opinionis mancipium
esse, ita se suaque nunquam stolidè admi-
ratur, aut callidè occultat; vir minimè
omnium dissimulator sui; immo seuerior
suorum errorum, propriæque vitæ cen-
sor, quam alienæ. Cæterùm, vastita-
te ingenij vniuersa in scientiis complexus
est, quæ vix singula singuli assequi potuere.
Ac fortassis nimio multa sciebat, quæ ig-
norare tutissimum est: Verùm illa ideo
sciebat, vt refelleret, aut execraretur, aut
irrideret. Optandum tamen foret, vt suo
ille ingenio dare frænos maluisset, solam-
que excolere Phýsiologiam, sororémque
eius

eius Medicinam; quàm volitare & luxuriari per omnia rerum; politica, œconomica, mechanica, astrologica, caduca, æterna, superna, inferna. Verùm ita fit, varietas delectat; mentémque humanam súsq; deque versat vesana curiositas.

Quorsum igitur, ista Tibi, Supremo Magistratui, offeruntur? Herclè quia Magistratum est, sicut & Sapientum, omnia nosse, dijudicare, eligere, expungere. Adde quòd ingenuus quisque, & verè nobilis animus, qualem Tibi Natura, meliórque Deus implantavit, seria studiorum avidè sectatur, si amœnitatis melle condiantur, maximèque allicitur philtro novitatis. Talia apud Cardanum frequentissimè occurrunt: quæ ille suo semper modo persequitur, nempe ad perpetuum vsum vitæ, morum, valetudinis: Idque sine fuce & phaleris; imò nimiùm crebriò sine elegantia; rerum quippe quàm verborum amantior: Quanquam vbi elegans esse satagit, id strenuè agit: in eoque seipsum superat, vt plures alios. Si quid autem in tanta mole scriptionis Autori exciderit, quod dictum nolles, illud sanè mille millèque bene dictis compensatur: & etiam illud idem cæteris auget decòrem; non secus ac in tabella, nigelli paululum format umbras, & addit honorem picturæ.

ẽ Opera

Opera ista tam varia, tam curiosa, tam expectata, Nomini Tuo nuncupamus, dicamus, consecramus: Idque meritissimò; quandoquidem in illa sublimitate Dignitatis, in illo fulgore Purpuræ, Libris nostris suus apud Te constat honor; Artémque Typographicam & Bibliopolas diligis, & laudare soles, vtpote Custodes Immortalitatis. Et quamvis occupatissimus mortaliū vivas, Musis omnibus sua tempora dispensas: ad illarūque sacrum pulvinar sacramentem reficis. Quinimo studere & meditari ludum putas, præ tetricis illis Legum, litiūque, quæ vel ferreum & χαλκέν-
τερον possent frangere, nisi subinde aures animūque Tibi demulcerent Forenses tuæ Luscinia, Apollinis Palatini aves. Sed illæ publicè; privatim verò, in ampla & electissima Bibliotheca tua, Tibi canunt ipsemet Apollo, & Musarum chorus. In quo suavissimo concentu, partes quoque suas non indecorè sustinebit Cardanus noster.

Sed & alia longè maiora nos ad hanc dedicationem impulere. Meminerunt omnes boni, neque mali dememinerunt, quantum Tibi Patria debeat; ab eo tempore quo turbulentissimis rebus nostris, stationem tuam constantissimè tueri, cum paucis ausus es: ac inter fidas, rabiēmque centipitis

cipitis belluæ, Regiam auctoritatem asserere minimè dubitasti; tuâ te virtute involvens, pro tam iusta causa mortem alacriter appetiturus. Enimvero dulce nomen Mors est, viro Nobili, & Senatorio, pro suo Rege occumbenti.

Ob hæc merita, Regum maximus, idemque iustissimus, inter tot electos viros electissimum Te voluit, qui in Sede Regni sui primaria Iustitiæ gubernaculum moderareris. Idque factum est exultante Lutetia, immo toto Regno, cui iam notissimus eras; quandoquidem Sacrum Principis Consistorium, in quo virtutis tyrocinium posueras, in univèrsam Galliam Iuris obtinet dictamen. Nec poterat quisquam eligi, magis ex voto publico, qui luctum illum dextergeret, lacrymasque siccaret, quas effundebant boni omnes, ob immaturam mortem Illustrissimi Decessoris tui, POMPONI BELLEVRÆI, origine Lugdunensis:

Quem Themis, & Charites, sibi de meliore metallo

Constarant. Malè sit vobis, fata, invida fata,

Quæ rapuistis eum, properantem ad gloriam Avorum.

Sed Magno bene sit Regi, agricolæ ingenioso,

Qui facit ut vivat, similiq; repulset arvo.

ē 2 Etenim

Étenim, Nobilissime Guilielme, Tibi cum Pomponio cognata virtus cognatos etiam honores, cognatáq; efflagitat encomia. Tu, sicut Ille, quantus quantus es, totus es candor & probitas. Tibi, sicut Illi, mens alta, solers ingenium, os affabile, manus purissimæ. Amantur in Te, quæ amabantur in Illo, Dignitas sine fastu, lautitia sine luxu, gravitas non morosa, nobilitas non ventosa, ipsæque literariæ dotes adeo sine ostentatione, vt etiam inter literatos mirè & suaviter Te ornet modesta Scientiæ dissimulatio. Quantus autem sis in Doctrina Iuris, tam Romani quàm Gallici, tam Politici quàm Ecclesiastici, testantur Oracula illa Iuridica, quæ vt alter Pomponius (sive iste nostras, sive ille Pandectistes) disertè & nervosè, ex ipsis Causarum visceribus deprompta, quotidie fundis: Idque sæpesæpius imparatus & inopinatè. Tua igitur Tibi ornamenta, tuam Tibi dignitatem, sapientiam, constantiã, eruditionem, impensè gratulamur: Olímque tuæ canitiei sublimius quiddam & augustius vota populi augurãtur. Quem candidum diem, ô si Sol iste nobis revehat, nihil vnquam salubrius, nihil plausibilius Gallia viderit!

Sed ista forsàn Te gloriæ blandimenta non capiunt, mavísque aures attentas dare misero

miserorum litigantium gemitibus, quos ta-
bidos & exsuccos Palatij liminibus affigit
Iudiciorum hectica febris. Iis velle opitula-
ri, Tibi naturæ generositate pronum est. Bis
dat, qui citò dat: Quòd citò ius reddere
amas, bis reddere est: præcipuè nobis è remo-
tioribus provinciis, qui ad tribunalia vestra
trahimur, anhelantes Romana milliaria ter-
centum & sexaginta; diætas autem legales
octodecim. Hisce miseriis finem vel modũ
imponere, totámq; litigiorum viperinam so-
bolem extinguere, vel eam ad suos autores
amandare, pium erit & iustum. Norunt eru-
diti, à qua mundi plaga nos invaserit ista pe-
stis; & à quonam tempore Fori peritia olim
apud nos facilis & simplex, degeneraverit
in vulpinã Artem, & lupinam; ipsãq; nostra
Iurisprudencia, casta, sancta, & venerãda, sæ-
pe tamen impuris manibus contrectata, vix
evaserit, quin ex matrona Gallica fieret
Avenionensis arlotta. Hasce sordes eluere,
Divãmq; pristinæ restituere majestati, mul-
ti ante Te conati sunt Viri magni: sed nescio
quo semper fato reluctata est temporũ ini-
quitas; quæ ipsis indomabilior fuit, quàm
ista sit quæ hodie, tranquillo Regno, sola
Tibi restat edomanda, hominum mali-
tia. Hanc minutatim conteres, improborum

malleus fortissimus. Quidquid autem venenati putvisculi residuū erit, quotidiano Senatuscōsultorum spiritu difflabis. Optabile facinus, & arduum! minimè tamen desperandum, Te promotore magno; majorèque Auspice LVDOVICO, ad hoc nobis A DEO DATO, vt aggrediatur OPVS HEROICVM EMENDATIONIS SVORVM TEMPORVM. Hoc vult, & gaudet velle; igitur patrabit. Quid enim impossibile est Regi magnanimo, & iuveni; qui abundè possidet aurum, & ferrū, & sapientiam, & suorum *corda*? Verbulum istud, Oratori Romano durum & barbarū, Regi nostro, suavissimum est, & Gallicissimum. Optimus hic, maximūque Princeps, qui in ipso victoriarum cursū pacem hostibus concessit, non patietur vt bello plusquā internecino familiæ nostræ pereant, & à famelicis harpyiis vivi devoremur. O DEVS pacis & pacificorum, da nobis pacem, externam, internam, æternam.

Scribebamus Lugduni ad Ararim, Calendis Ianuariis, anno seculi climacterico M. DC. LXIII. qui vtinam hydræ palatinæ, sub Hercule LVDOVICO, sit exitialis. I. H.

Illustrissima Dignitati Tue

Addictissimi & devotissimi,
IOANNES ANTONIVS HVGVEAN,
& MARCVS ANTONIVS RAVVD.